Numerus 1 - Anni II
:: Ianuarius 1925 ::

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

EPHEMERIS MENSTRUA NOSTRIS DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM B.M.V.

OBLATA A SECRETARIATU CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

DE MODO SODALES AD APOSTOLATUM INDUCENDI

Necessitas.

Congregatio Mariana Sodales non solum ad sanctitatem propriam inducere, sed etiam ad *apostolatum formare* conatur. Quae res tam documentis Pontificiis, quam Regulis Congregationis demonstratur. Experientia quoque teste Mariani Sodales nihil antiquius unquam habebant, quam ut praeter sui in virtutibus exercitationem operibus apostolicis Virgini Divae sese gratificarent. Historia Congregationis Marianae plena est illustrium exemplorum non pietatis tantum, sed etiam zeli animarum studiique Ecclesiae defendendae.

Apostolici huius fervoris necessitas hodiedum manifesta est, cum *in se ipsa*, tum *ratione ipsius Congregationis*.

In se ipsa: quia tantae vicissitudines Ecclesiam infestant, animisque immortalibus tanta pericula parantur, tam pauci etiam sunt sacerdotes tamque difficile omnes hominum classes adoriri possunt, at nisi accedat apostolatus laicorum, inprimis Sodalium, plurima pericula ab animis averti, plurima damna Ecclesiae impediri, plurima emolumenta regni Christi obtineri nequeant.

Ratione ipsius Congregationis necessaria sunt opera apostolica: quia haec ipsum fervorem internum vehementer confovent et adhaesionem Sodalium ad Ecclesiae causam augent; et quia nisi Sodales ad apostolatum operosum inducantur, Congregatio facile perdit vigorem atque etiam aestimationem virorum iuvenumque agilium.

Ipsi etiam *Summi Pontifices* necessitatem apostolatus laici iterum iterumque inculcarunt. Sic ipse SS. D. *Pius Papa XI* prima sua Encyclica « *Ubi arcano Dei* » 23 Dec. 1922 haec Episcopis iniunxit: « Illud porro in Christifidelium mentes revocate, quod cum ii, vobis cleroque vestro auctoribus, in provehenda Christi cognitione et amore publice privatim inculcando navant operam, tum demum maxime digni sunt qui salutentur *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (1 Petr. 2, 9). »

Iam quisnam alacrius quam Sodales Mariani hanc Summi Pastoris invitationem sequentur?

Itaque optimus quisque Director strenue incumbet in id, ut Sodales suos pietate imbutos etiam zelo animarum inflammet et ad ipsa opera apostolatus exercenda prudenter inducat.

Rationes,

quibus Director Sodales suos ad apostolatum exercendum incitabit, hae potissimum erunt.

1. **Ratione Dei:**

Ex *essentia nostra* ad Deum glorificandum vocati sumus. Atqui Deus glorificatur per cognitionem (fidem) et amorem hominum. Tantoque magis glorificatur, quanto plures animae et quanto perfectius eum cognoscunt et amant, quantoque plures salutem aeternam consequentur. Ergo officio Deum glorificandi maxime satisfacimus, cum animas servamus.

Idem debemus ex *gratitudine* erga Deum: ob beneficium creationis, redemptionis, sanctificationis, verae fidei, electionis et vocationis ad Ecclesiam et ad Congregationem, ob beneficium tot peccatorum remissorum, ob beneficium SS. Eucharistiae ac tot Communionum, ob beneficium Ecclesiae institutae, ob spem salutis aeternae.

Tandem idem debemus ex *amore* Christi *Regis*, qui milites sibi et adiutores quaerit, nosque ad laborandum secum invitat; ex amore Christi *patientis*, ne frustra sanguinem pro tot centenis millenisque hominibus frustra effuderit; denique ex amore Christi aeterna praemia *promittentis*, quae despicimus, si ea aliis quoque aperire negligimus. Si amas Deum, serva animas!

2. **Ratione nostri :**

Apostolatus *nos ipsos confirmat* in fide et virtutibus. Docendo discimus, alios impellentes ipsi quoque ad bonam vitam impellimur.

Apostolatu caritatem, summum Christi praeceptum, in summo gradu exercemus et sic *optime ipsi meremur* ac pulcherrimam coronam nobis reponimus. Quam facile erit iudicium illi, qui alios a tremendo Dei iudicio exemit ! Quam dulcis erit ingressus in coelum, si iis circumdatus ibi fueris, quos ab aeterno exitio tu liberasti ! Quam gratus Christus amplexabitur bonum servum ac fidelem, cuius ope gemmae vivae, animae inquam Ipsi carissimae, regio Eius diademati inserentur !

Tandem apostolatus iam in hac vita fons est *gaudii dulcissimi.* Quid enim laetius, quam vulneribus mederi, lacrymas tergere, errantes in lucem, filios prodigos ad domum paternam reducere ? Quid clarius, quam pro Ecclesia, Christi Sponsa, nobilium epheborum more militiam agere ? Quid suavius, quam ad pedes Christi provolutos videre illos, quos tu e coeno peccatorum ad admirabile lumen Christi eduxisti ?

3. **Ratione proximorum :**

Vide, quam multi *nascantur extra veram religionem.* Quam multi per totam vitam suam ne audiunt quidem nomen Iesu, extra quod non est sub coelo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (Act. 4, 12), quive ab ipsa lege naturae servanda detinentur pessimis exemplis et superstitionibus, quibus vel ab infantia sua circumdantur. Quomodo hi die iudicii nos accusabunt, si donum fidei, quo ipsi fruebamur, illis afferre recusavimus ?

Vide, quam multi nascantur extra sinum Ecclesiae, in *haeresi et schismate*, sintque ab adolescentia imbuti erroribus, praeiudiciis, odio Catholicae veritatis. Numquam peccata anteacta confitentur, numquam absolvuntur, numquam dulcissimo Christi corpore reficiuntur aut contra tentationes muniuntur, numquam Matrem Misericordiae invocant, numquam plenam lucem Christi et auxilia Ecclesiae consequuntur. Quot sunt tamen inter hos, qui, si ad veritatem scite adducti essent, eam libenter amplecterentur !

Vide, quam multi inter ipsos Catholicos in *familiis scholisque irreligiosis iam pueri corrumpantur.* Quam multi oriuntur parentibus francomurariis, liberalismo vel socialismo infectis, libidinosis et corruptis ! Quam pessimam hi pueri educationem sortiuntur ! Quam cito ab amicis malis pervertuntur ! Vide, quot sint iam iuvenes atheismo infecti, peccatis carnis dediti. Quam horrendum est id, quod statistica criminalia de ipsa iuventute deque adultis ostendunt, vel quae ipsi nostris oculis cotidie in magnis urbibus cernimus. Quam tristis est apostasia illa a fide et Ecclesia magnae partis operariorum socialismo infectorum ! Quam triste spectaculum : diaria, libriique diffusissimi, theatra et cinematographa, cathedrae universitariae, organisationes iuventutis et operariorum, ipsa comitia parlamentaria et gubernia plurimis in locis inimicorum sunt Christi ! Acsi Lucifer esset dominus et imperator orbis terrarum. Quam multa pericula fidei ac morum ex hac rerum condicione animabus ubique imminent !

Iam quis erit harum rerum in die iudicii exitus, cum timore auspicandum est. Plurimi peribunt, nisi tu quoque accurras et serves periclitantes. Mundus hic quasi gurges vorax est, plurimi nefastis undis cotidie abripiuntur. Tu vero in ripa sedes neque misericordia tangeris ? Neque insilis in lintrem, ut opem feras illis, qui iamiam lethalibus aquis merguntur ? An otio frui vis, nec manum eis porrigere et servare ab interitu, quotquot undequaque servare potes ? Augustinum audi accusantem te: « *Tot homines perdis, quot, cum potes, non servas* ».

4. **Ratione honoris Ecclesiae :**

Decus est Ecclesiae multos habere *milites fortes et fideles*, adiutores inquam sibi deditos, eorumque ope quam plurimos fideles lucrari et devotos filios.

Decus est Ecclesiae : *religionem veram florere*, habere templa referta, Sacramenta frequentata, dies festos celebratos, sacerdotes honoratos, familias religiosas, viros, mulieres, iuvenes, virgines, puerosque castos, pios, morigeratos.

Decus est Ecclesiae : si *florent res catholicae*, si scholae christianae, missiones domesticae et inter infideles, s. Exercitia, associationes religiosae, impressio libellorum catholicorum, opera caritatis viribus augentur et fructu.

Dedecus vero est : si Catholici ne curant quidem Ecclesiam, eiusque iura et honorem, si negligunt praecepta, apostolatum, opera religionis et caritatis; si rerum omnium diabolus potitur, ob negligentiam et ignaviam etiam nostram.

Dedecus est : si milites diaboli magis et diligentius laborant quam milites Christi ; si error et peccatum studiosius propagantur quam veritas et virtus ; si alacriores sunt hostes ad perdendas, quam nos ad redimendas animas ; si apostoli religionis desidiores sunt apostolis impietatis, si omnia inimicis Christi relinquunt, si patientur hos prudentiores et alacriores esse filiis lucis.

5. **Ratione paucitatis operariorum :**

In plerisque regionibus sacerdotes et religiosi *exiguo sunt numero*, tam absolute loquendo, quam relative ad auctas necessitates et pericula temporum. Laicis igitur adiutoribus opus est.

Praeterea laicus apostolus *ad multa loca, multosque homines accedere potest*, ad quos *sacerdoti quasi vetitus est aditus*. Sunt etiam plurimi adeo diffidentes sacerdoti, ut una via ad eos emolliendos relinquatur : apostolorum laicorum auxilium. Etiam exemplo horum saepe multo plus efficitur, quam sacerdotum sive labore aut sermone, sive etiam exemplo.

Sunt deinde labores apostolici, qui per se ipsos *magis decent homines laicos* quam sacerdotes. Sic opera quaedam caritatis et educationis, multa opera quae in associationibus fiunt (sport, theatra, recreationes), opera deinde politica, socialia et oeconomica, opera diariorum et litteraturae etc. Sic etiam defensio forensis iurium Ecclesiae magis laicis convenit.

Denique ipsorum sacerdotum labor apostolicus non tantum sublevatur, sed etiam *suavior et efficacior redditur* eo, quod a tota fidelium bonorum familia sustinetur. Nec profecto decet fideles totum laborem sacerdotibus relinquere, acsi nihil res ipsorum interesset et zelosos sacerdotes prorsus opprimi mole laborum vellent.

Principia quaedam in apostolatu servanda.

1. Apostolatus laicus semper *subiectus esse debet* apostolatui stricte ecclesiastico et *gubernio hierarchico*. Est enim solum apostolatus subsidiarius. Laici non debent Ecclesiam gubernare velle.

2. Apostolatus laicus, si ordinatus esse vult, *certos sibi fines praefigat* oportet, *certasque vias* ac rationes sequatur, quas adiuncta temporum, locorum et hominum, atque consilia et experientia prudentiorum indicabunt. Nihil enim fere obtinetur, si quivis tiro qualicumque modo in apostolatu laico laborare sibi licere autumet. Apostolatus ars est, cuius regulae disci, cuius usus acquiri debent, ut cum fructu exerceatur.

3. Nemo ad apostolatum exercendum mittatur, nisi prius pro se ipse *fundamentum spirituale* posuerit. Nemo enim dat id, quod non habet. Neque aderit pura intentio, spiritus sacrificii, constantia in adversis, aut perseverantia, nisi quis ipse solidas virtutes acquisierit. Atqui sine his apostolatus serio et diu exerceri nequit.

4. Apostolatus noster *ne sit solum negativus :* i. e. ne solum prohibeamus aut impediamus mala, sed etiam construamus bona. E. g. non est satis, neque semper efficax, vetare malos libros, nisi curemus simul ut adsint boni libri, et sic in aliis rebus. Nec sufficit vincere hostes Ecclesiae vel errores, sed positive religio fovenda et evolvenda est.

5. In apostolatu ducamur sancto quodam *optimismo simul et pessimismo*. Optimismo : ne facile animo despondeamus, et pessimismo : ne cito fructibus obtentis satisfactum esse officio nostro putemus.

Quotuplex est apostolatus laicus ?

Apostolatus laicus varius est :

1. *Ratione modi sese dedicandi.* Sunt multi apostoli laici, qui *occasione data* exercent opera apostolica, maiore vel minore cum zelo, ita tamen, ut primaria eorum occupatio saecularis sit. Exemplo sit v. g. advocatus quidam vel mercator, qui principaliter rebus saecularibus occupatur, sed tempore libero aegrotos vel pauperes invisit, doctrinam christianam explicat etc. Sunt deinde apostoli laici *vocationales* (quos dixerim), vel professionistae, seu tales, qui auxilio animabus rebusque Ecclesiae impenso primario occupantur. Tales sunt : ludimagistri catholici, secretarii caritatis, secretarii operariorum in catholica aliqua laboris organisatione, redactores ephemeridum catholicarum, catechistae stabiles etc.

Hic modus per se certe perfectior est, sed non omnibus patet ; unde Sodales ordinarie *modo magis occasionali tantum* apostolatum exercebunt.

2. *Ratione operum.* Apostolus laicus aut directe adiuvat sacerdotem in ipsis operibus sacerdotalibus, seu *circa curam animarum* pressius dictam ; aut opera praestat, quae curam animarum et vitam religiosam magis *indirecte praeparant*, fovent et defendunt. Utrumque genus opera sunt maximi momenti. Sic etiam apostolatus laicus duplex distinguitur : *auxilium laicum circa ipsam curam animarum*, et *opera subsidiaria remotiora* apostolatus.

Opera laicorum *circa ipsam curam animarum* haec fere sunt : assistere sacerdotibus in ornanda ecclesia, mundandis paramentis, curando cantum et musicam in templo, curando ordinem in sollemnitatibus, processionibus etc. ; distribuendo invitationes parochiales vel ephemeridem parochialem (Bulletin de paroisse), partem assumere in consilio vel commissione parochiali vel eius Sectionibus, hominem « fiducialem » agere in aliqua magna domo vel platea ; iuvare sacerdotem in exstruendis nova ecclesia (si opus est) vel sacellis succursalibus, in fundanda nova parochia vel expositura etc.

Opera subsidiaria apostolatus sunt potissimum haec :

1. Opera *caritatis*,
2. Opera *scholarum* et *iuventutis* educandae
3. Opera vitae *culturalis*,

4. Opera *propagandae:* diarorum, librorum, litteraturae, artium,

5. Opera *socialia*,

6. Opera vitae *publicae*,

7. Opera *missionum* et *conversionis* Acatholicorum,

8. Opera *internationalia*,

9. Opera *oeconomica* ad utilitatem Ecclesiae.

Quid Congregatio quoad haec omnia praestare potest?

1. Nemo dixerit *Congregationi ipsi* **ut tali** *omnia ista opera supra enumerata suscipienda esse.* Multa enim ex eis vel limites Congregationis transcendunt (e. g. quaedam socialia, publica, oeconomica), vel ab aliis associationibus catholicis ad haec institutis agitantur, quibus terram praeripere Congregatio non debet.

2. Tamen *omnia ista* Congregatio *prae oculis habeat*, ut Sodalibus altos omnino fines proponat totiusque campi apostolici conspectum praebeat, et Sodales adigat, ut sibi quisque opera seligant, quibus efficaciter et operose zelum exercituri sint.

3. *Aliqua certe opera* quaevis Congregatio sibi *propius exercenda eligat*, Sodalesque suos instruat et inducat in ea practice suscipienda. Maxime vero ea opera suscipere Congregationem ipsam decet, quae magis ipsam vitam religiosam prope respiciunt (e. g. opera catechetica, eucharistica, s. Exercitiorum, missionum iuvandarum, bonorum librorum et ephemeridum propagandarum etc.).

4. Quodsi Congregatio per se ipsam aliqua opera susceperit, quae in eadem urbe vel parochia simul etiam ab actione parochiali vel alia associatione catholica bene suscepta sunt : caveat Congregatio, ne has actiones impedire vel cum illis odioso quodam modo concurrere aut velit aut videatur ; sed *amicaliter* cum his actionibus rem suam *componat* et *labores distribuat.* Solutio huius quaestionis ordinarie illa erit, ut :

a) Congregatio Sodales potius *formet* ad bene praestanda ista opera, operationem vero ipsam Sodales *intra associationum ambitum* exerceant ; aliis verbis : in Congregatione fiat formatio Sodalium, hi vero formati ingrediantur in associationes et ibi laborent;

b) Congregatio ea opera sibi ipsi praestanda potius suscipiat, quae *ab aliis vix aut omnino non fiunt,* et magis religiosa sunt.

(*Continuabitur*).

Obiicis : Apud nos nemo inter adolescentes vel viros urbis de Congregatione vel audire quidquam vult. Congregatio pro confraternitate habetur.

Respondeo : Proh dolor, si res eo devenerunt ! Sed eo urgentius est officium nostrum et honorem et valorem Congregationis redintegrandi.

De anno sancto iubilaei

Die 24 Decembris, aperta « porta sancta », annus sanctus iubilaei Urbi et Orbi illuxit. Sodalibus Marianis sollemnitas huius iubilaei praecipuo modo cordi erit, quippe quibus iucundissimum fuerit ea omnia fovere, quae religioni augendae et Summo Pontifici gratificando inserviunt.

Proh dolor, Congressum Congregationum nostrarum internationalem hoc anno obire rerum adiunctis vetamur. Eius tamen loco Pater Noster gratum sibi fore significavit, si peregrinationes sodalitiae, virorum potissimum atque iuvenum, anno hoc sacro Romam venirent, permisitque ut e RR. PP. Provincialium consensu Nostrorum quoque Sodalitatis Directorum aliqui cum maioribus peregrinationibus Urbem peterent, Sodales comitaturi et Apostolorum ac Martyrum vestigia veneraturi. Nos vero, Secretariatus Centralis Congregationum B. M. V., libentissime opem nostram ac servitium peregrinis Sodalibus et Directoribus offerimus, quantum vires suppetunt, etsi obligationem ullam quoad res externas (e. g. habitationes acquirendas) suscipere vetitum nobis est. (1) Maioribus peregrinationibus Sodalitatum Prima Primaria sollemniorem aliquam receptionem in templo S. Ignatii libenter parabit.

Finis peregrinationum

Vix longius disertiusque dicendum est, peregrinationem eiusmodi non solum oblectamento cuidam fore, sed si recte fiat, fidei et aedificationi religiosae multum esse inservituram. Ob hunc finem iam fere a temporibus apostolicis multi Christiani Romam peregrinati sunt, suntque notissima exempla in vita Sanctorum et Catholicorum insignium, recenti etiamdiu tempore, peregrinationem eiusmodi saepe renovati fervoris religiosi fuisse initium.

Neque quisquam facile loca haec sancta invisit, quin altissime commoveatur animo, dum aut in aedibus Vaticanis, aut Via Ostiensi, aut Amphitheatro Flavio, aut Catacumbis heroicae virtutis fideique vestigia veneratur, aut Vicarii Christi manus osculatur. Memoria peregrinationis Romanae Christianos usque ad vitae finem comitari solet atque nova semper fidei ac devotionis incitamenta

(1) Cum nos ipsi rebus istis materialibus providere non possimus, obtulit sese saecularis quidam vir nobis addictissimus, quique in ipso Secretariatu nostro operam navat, Dr. F. Wuelfingen (Via S. Nicola da Tolentino 8, Roma 30), qui ltbenter in se suscipiet onus habitationis cum victu procnrandi (cotidie circa pro 30 - 80 libellis ital., secundum variam qualitaiem), aliisque id genus rebus providendi. Litterae igitur directe ad hunc dominum de istis rebus mitti possunt.

subministrat. Praeterea confluxus tot fidelium ad Patrem communem et Summo Pontifici solamen affert, et unitatis fidelium in toto orbe catholico est splendidum documentum. Sic opus omnino bonum ac religiosum facimus, cum Sodalium peregrinationem Romanam promovemus.

Sodalibus praeterea triplici ex capite iucunda simul et utilis ista peregrinatio erit. *Primo:* quia simul maxima et antiquissima B. Virginis sanctuaria invisere poterunt, sic ecclesiam S. Mariae Maiorem, ecclesiam S. Mariae Antiquam in Foro, ecclesiam S. Mariae supra Minervam, S. Mariae Angelorum, de Perpetuo Succursu, sacellum B. V. a Strada nuncupatum etc. *Deinde:* sedem Primae Primariae. *Demum:* plurimos, utpote Societati nostrae addictissimos, delectabunt sacraria Societatis, quae Congregationum mater est; sic templum, tumulus et cubicula S. P. Ignatii, brachium dextrum S. Francisci Xaverii, tumuli et cubicula SS. Aloysii, Stanislai, Ioannis Berchmans etc.

Quomodo finis iste obtinendus?

Sed ut hic finis plene obtineatur, necesse est peregrinos bene praeparare, ut sciant, quid sibi velint loca, quae invisunt.

Congregationis igitur Director, cuius Sodales Romam invisere volunt, iam antehac edocebit suos, quod sit Urbis momentum tam in *historia* et in *arte*, quam praecipue in *religione*. Dicet eis, quonam spiritu loca haec invisenda sint, quidque prae ceteris sit invisendum. Libri boni de hac re tractantes facile inveniuntur in singulis linguis (1).

Monendi etiam sunt Sodales, ne nimium fidant libris illis vulgatissimis de Urbe tractantibus (Baedeker, Tani, etc.), qui res catholicas cum tendentia quadam aut reticent aut detorquent, et potius res paganas et mundanas ubique laudibus efferunt. Revera dolendum est, quod multi etiam Catholici solis illis libris acatholicis ducuntur in Urbe visenda atque sic magna parte aedificationis et instructionis privantur, quam secus obtinere potuerunt. Quare videant bene Directores in singulis nationibus, quosnam libros (« guide ») commendent Sodalibus suis. Cum tamen multi nullo libro utantur, optimum est eos ore edocere de rebus maioris momenti.

Imprimis vero inculcandum erit Sodalibus, ne Romam solum profanorum hominum more veniant, cupidorum novas res videndi, sed sacram peregrinationem et devotionis augmentum prae ceteris sibi praefigant. Sint in hac etiam aliis aedificationi. Ubi e. g. in templum aliquod intrant, primum omnium *orent* paulisper et SS. Sacramentum venerentur, tum demum res circumspecturi templum perlustrent. Multi enim homines increduli vel acatholici cotidie haec loca invisunt solius curiositatis causa, neque multum aedificantur, si ne Catholici quidem loca ista tamquam sacra considerent. (Idem fere valet e. g. de Catacumbis). Etiam confessionem apud S. Petrum in Vaticano peragere et sacram Communionem in sacrariis praecipuis accipere amant pii peregrini. Ii, qui possunt, Indulgentias Iubilaei lucrari conabuntur, cuius rei condicio est, ut 4 basilicae principales: S. Petri, S. Pauli, Laterana et S. Mariae Maioris per decem dies (Romanis per viginti dies) continuos vel interpolatos visitentur.

Certe non omnes Sodales poterunt peregrinationem istam facere. Sed etiam eos, qui absentes annum sacrum domi obibunt, certe spiritu peregrinari Romam decet, atque etiam hos iuvabit de Urbe hac omnium Catholicorum matre aliqua audire. Quare conferentias aliquas de anno sacro et Urbe Roma habere cuivis Directori labor utilis erit.

(1) Inter hos maxime commendantur libri P. *Chandlery* S. I. (Pilgrim Walks in Rome), P. *Bonavenia* S. I. (Guide de Rome), *de Waal* (Rompilger). Series imaginum (" album ") ad demonstrationes faciendas libenter mittimus in antecessum (minore pretio quam communiter venduntur) iis, qui id desiderant et ad solvendum earum pretium lib. ital. 10-20 vel plus mittunt.

QUAESTIONES PRACTICAE

De Instructione Candidatorum. " Dicat mihi breviter R. V., — aliquis rogat — quonam modo Instructori Candidatorum officio fungendum sit ".

Respondemus: Instructoris Candidatorum munus aequi fere momenti est ac Praefecti officium. Solet *etiam ad id munus seligi* Sodalis, qui *Praefecti vel Assistentis munere antea functus erat*, vel certe *ex optimis unus*, qui non tantum multum spiritualis est et Regulas atque usus Congregationis apprime novit, sed etiam *iucunde eas exponere*, tirones devincire, *allicere* atque *instruere* sciat. Candidatos et aspirantes certo tempore, e. g. semihora ante communes conventus, cogat, eisque finem, naturam, emolumenta, Regulas Congregationis ususque et devotiones exponat, colloquii tamen familiaris modo, non nescio qua exhortatione rhetorica vel scholari vel praeceptoria; iubeatque Candidatos et aspirantes dubia sua et quaestiones libere sibi proferre.

Ob maximum rei momentum practicum id prae ceteris Instructor Candidatis et aspirantibus clare proponat (praesertim in Collegiis): ingressum in Congregationem non fieri pro uno alterove anno, sed *pro tota vita;* recedant igitur potius quam fidem Beatae Virgini datam fallant; non esse necesse, ut quis Sodalis fiat, sed necesse omnino esse, ut non fiat, nisi quis ad finem usque vitae Sodalis esse velit. Ea, quae exposuit, aptis interrogationibus a Candidatis perquirat, ut videat, num omnia recte perspexerint.

Instructor non tantum docet, sed vocem habet etiam praeponderantem in consultatione, ubi de *admittendis novis Sodalibus* agitur. Certe ille optime cognoscere Candidatos et de eis iudicium ferre potest.

Cum tamen etiam Praefecto vox praecipua competat in admittendis Candidatis, utile omnino est, ut etiam Praefectus aliquando instructioni Candidatorum interveniat, seu ut Instructor eum aliquoties ad hunc interventum invitet. Item hinc inde Director inviset instructionem Candidatorum, cum ut videat, num recte omnia fiant, tum ut Candidatis et ipsi Instructori animum addat.

De promissione non ingrediendi in societates secretas quaerit aliquis Pater. Certe ex quo tempore Pius IX et Leo XIII societates illas iterum damnarunt, in multis Congregationibus mos invaluit, ut Sodales sollemniter promitterent, se nunquam societatibus illis nomen daturos. Aliqua Sodalitatum Manualia in ipso actu consecrationis etiam formulam huius promissionis proponunt (1). Quaeritur de origine et opportunitate hodierna clausulam eiusmodi servandi.

De origine nobis id unum constat, consuetudinis huius aliquibus locis introductae iam P. Anderledy mentionem facere (Mullan 320). Certe Regulae hodie vigentes nihil de hac re habent, neque actui consecrationis duplici (Reg. 27) quidquam clausulae eiusmodi additur. Quare videat prudens Director, consideratis adiunctis loci, utrum morem illum servandum putet, an vero ad communem usum recedendum sibi videatur.

Ad articulum nostrum de Sodalibus *" pensione donatis "* complendum iuvat hic transcribere ea, quae ipsa S. Sedes praescripsit, quaeque in privilegiis Congregationis habentur nn. 25 et 27 (Mullan 2019, 2021). Dicitur ibi:

" 25. Directori licet admittere ad Sodalitatem, quae per se pro adolescentibus erecta est, adultos virosque patresfamilias. Idem valet in casibus similibus pro aliis Sodalitatibus, etiam feminarum. *Requiritur tamen iusta causa;* quae facilius aderit, si quis vitae statum (e. g. ineundo matrimonium) mutans in Congregatione remanere desideret *neque alia Sodalitas B. Virginis Mariae ipsi conveniens illo loco habeatur ".*

Itaque sine iusta causa ac praesertim ubi adsunt aliae Congregationes pro viris, retinere adultos in Congregatione Collegii non licet. — Ac porro:

" 27. Sodales per annum aut tempus diuturnius a loco Sodalitatis absentes atque alibi, unde conventibus adesse nequeunt, domicilium figentes, ad Indulgentias acquirendas *tenentur Sodalitatem loco novi domicilii exsistentem suoque statui convenientem ingredi,* nisi contradicat Director huius Sodalitatis aut aliud adsit legitimum impedimentum, de quo prioris Sodalitatis Director iudicabit ".

Hanc S. Sedis monitionem Regula quoque 47 Sodalitatis transcripsit, sed notandum est, illam ab ipsa S. Sede promanasse, saltem ut condicionem Indulgentiarum lucrandarum.

Nequaquam igitur agit iuxta spiritum Congregationis ille, qui Sodales adultiores in Congregatione invenum sine vera necessitate retinet.

(1) E. g. in aliquo actu consecrationis gallico haec clausula additur:

« Humblement soumis aux ordres de notre Saint Père le Pape, je m'engage devant Dieu et devant les hommes, à n'adhérer jamais en rien aux Sectes maçonniques ou autres Sociétés condamnées par l'Eglise et à les combattre de tout mon pouvoir. Qu'ainsi Dieu me soit en aide ».

CHRONICA

Austria. *Conferentia Directorum Nostrorum Viennensium* a R. P. Provinciali convocata est mense Octobri.

Materiam discussionis exposuit P. Jos. *Finster.*

Primum *statisticos numeros* Congregationum nostrarum Viennensium exhibuit. Viennae *307 Congregationes Marianae* vigent (ac praeterea plus 80 Congregationes puerorum), quarum media fere pars virorum est atque iuvenum. In singulis urbis districtibus *saltem quaternae* exstant Congregationes, in uno tamen plus 40. Nostri harum omnium *sextam fere partem* (plus 50) dirigunt, mediam fere partem viriles, in 9 districtibus.

Difficultates maxime has P. Finster enucleavit:

1. defectum rectae gubernationis, praesertim in admittendis novis Sodalibus,
2. nimias devotiones, loco formationis religiosae,
3. nimiam curam recreationum,
4. differentias cum aliis associationibus, quas multi magis necessarias autumarent,
5. nimis parvum influxum Nostrorum in consultationibus Sodalitatum urbis communibus,
6. defectum recti conceptus Congregationum apud externos Directores,
7. nimiam occupationem Nostrorum in Congregationibus puerorum,
8. nimiam restrictionem vitae sodalitiae ad partem ritualem conventuum, et defectum conventuum et operum extra templum habendorum; item defectum cooperationis cum organisationibus parochialibus,
9. nimiam aliquando extollentiam Congregationis, acsi sola colenda esset et omnibus malis una mederi posset.

Deinde ad *discussionem* ventum est. Cui duo rerum capita erant proposita: 1° quomodo Director in singulis Congregationibus *certum aliquem finem* sibi proponere eumque methodice, ut dicimus, prosequi deberet; 2° quomodo cum omnibus Congregationibus urbis laborem conferre Nostros oporteret ad eos fines obtinendos, qui hodie et in illa urbe maxime urgerent (e. g. ad servanda Ecclesiae iura in quaestione scholarum, ad sancte servandam diem dominicam, ad vestium licentiam cohibendam etc).

Discussionem istam totumque conventum ubere fructu non caruisse, Litteris aedificantibus illius Provinciae docemur.

Persecutio Congregationum Marianarum in Iugoslavia. Congregatio Mariana in Slovenia et Croatia laetissimam spem edidit. Non latuit haec res ministrum gubernii Belgradinensis, rei catholicae osorem, qui malis ephemeridibus ad id eum incitantibus nunc vetuit, ne inter studiosam iuventutem Congregationes " aliaeque societates secretae et anticulturales " tolerarentur. — Persecutio signum laudis est: signum valoris et vigoris interni, sed simul signum doloris et angoris plenum.

Oremus et iubeamus orare Sodales nostros ubique gentium pro fratribus persecutione molestatis. Simul videamus, quam necesse sit, ut actioni Congregationum etiam aliae actiones vitae catholicae, etiam socialis et publicae, iungantur, v. g. ephemeridum catholicarum opinionem publicam dirigentium; secus enim id, quod hodie aedificamus, cras inimici Ecclesiae facili negotio destruent. Rectissime Pius X ad Canonicum *Ardant* dixit:

" Frustra aedificabitis templa, frustra sacras missiones instituetis, scholasque erigetis; omnia opera ista bona omniaque sacrificia vestra fructu carebunt, nisi simul armis uti sciveritis defensivis et offensivis preli catholici recti et sinceri " (1).

Zürich Helvetia. *Cursus Officialium Maiorum* Congregationis habebatur in Zürich diebus 10-14 Novembris. Res nova et utilissima.

Convenerunt circiter 200 ex solis *Officialibus maioribus Congregationum* virorum, iuvenum, virginumque urbis.

Placuit Consilium Generale constituere, cui 7 omnino socii essent ex omnibus urbis Sodalitatibus confluentes. Die 10 Nov. N. quidam dixit de loco Congregationis in ambitu curae pastoralis; die 11 de modo conventus agendi et Sectionibus moderandi actum est; die 13 de officiis Magistratus; die 14 de Congregationibus virginum tantum, die 15 de Congregationibus virorum ac iuvenum. — Iuvat notare, Episcopos Helvetiae communi consilio sacerdotem quemdam designasse, qui omnium Sodalitatum Marianarum per Helvetiam Secretarius centralis officio fungeretur.

(1) Iuvat hoc effatum magni Pontificis ad verbum transcribere: " Ah! la stampa, non si comprende ancora l'importanza. Nè i fedeli, nè il clero vi si dedicano come dovrebbero I vecchi dicono talvolta che è un'opera nuova e che una volta si salvavano le anime senza occuparsi di giornali. Una volta! Una volta! Ma queste teste piccine non riflettono che una volta il veleno della cattiva stampa non s'era sparso dovunque, e che, per conseguenza, il contravveleno dei buoni giornali non era ugualmente necessario. Non si tratta di una volta. Non siamo più di una volta: siamo dell'oggi. Ebbene è un fatto che oggi il popolo cristiano è ingannato, avvelenato, perduto dai giornali empi. *Invano fabbricherete chiese, predicherete missioni, fonderete scuole;* tutte le vostre buone opere, tutti i vostri sforzi saranno distrutti, se non saprete al tempo stesso maneggiare l'arma difensiva e offensiva della stampa cattolica, leale, sincera „. (*Pio X* al Can. Ardant; riprodotto da 1. Num. del Bollettino mensile dell'Opera Nazionale per la Buona Stampa. 31 Genn. 1916).

Latine: " Heu, impressionis necessitas nondum vere intelligitur!. Nec fideles, nec vel ipse clerus curam ei impendunt, uti opus est. Seniores aliquando obiectant, rem novam esse, hominesque antea servatos esse sine opere diurnalium. Antea! Antea! Sed capita haec nimis arcta non advertunt, antea venenum impressionis malae non esse ubique sparsum ac proinde neque venenum contrarium bonarum ephemeridum aeque fuisse tunc necessarium. Sed nunc non agitur de anteacto tempore. Iam non " antea " vivimus, sed hodie. Atqui indubie populus christianus hodie decipitur, veneno perfunditur, corrumpitur impiis ephemeridibus. Frustra aedificabitis templa, frustra sacras missiones instituetis, scholasque erigetis; omnia opera ista..." et cetera, ut supra.

TELEPHONIUM EDITORIS

Inscriptio Secretariatus nostri non amplius est: Via degli Astalli, sed: *Via S. Nicola da Tolentino 8, Roma (30).* Huc igitur mittenda rogantur omnia: epistolae, articuli, oboli.

Ephemeris nostra a novo anno *anglica quoque lingua* prodibit, die 15° cuiusvis mensis. Director editionis anglicae P. Laurentius E. *O' Keeffe* S. J. erit. Editio ista mittetur domibus, in quibus usus linguae anglicae praesumitur. Si quo casu fallimur, velint quaeso lectores nos monere et scribere, quamnam editionem desiderent; latinamne an anglicam.

Supplementum II ultimo numero *Aciei Ordinatae* addidimus, quo Regulae communes Congregationis authenticae exhibentur. Ulteriora exemplaria apud nos prostant et venumdantur. Singulorum Supplementorum sive Nr. 1, sive 2) pretium est, posta inclusa, lib. ital. 1, 10 numerorum lib. it. 8, 100 numerorum lib. it. 70. Utrumque supplementum *etiam externis* vendi potest.

N. I. Rogat Rev. V., quidnam sit *subscriptionis pretium* pro *Acie Ordinata.* Respondemus: nullum, sed *eleemosynas* grati accipimus ad expensas nostras (haud mediocres!) sublevandas. Obolis hactenus acceptis vix sextam partem expensarum solvere potuimus; quare — *longum restat iter...* Nec tamen subscriptionem ordinariam facere volumus, ne ii, qui parum habent, nimis onerentur. Confidimus, B. Virginem necessarios obolos nobis missuram esse — Novas Indulgentias petere pro Congregationibus vix esset opportunum, nec facile quidquam obtineretur. Habet Congregatio Indulgentias satis copiosas, illis prius magis utamur. — Elenchum plenum Sanctorum Sodalium R. V. desiderat. Exhibemus hic desiderium istud; fortasse aliquis ex nostris historiophilis ei respondebit. — Etsi Congregatio non sit Primariae aggregata, potest esse vera ac propria Congregatio Mariana, potestque eius Director ephemeridem nostram accipere. Sed si nondum est aggregata Congregatio, quidnam prohibet, quin aggregetur?

J. C. Certe mirum est, si quis Nostrum Congregationem pro exercitio praeparatorio tantum habet ad ingressum in Tertium Ordinem. Sed quidnam prohibet, quin ipsa Congregatio melius evolvatur omniaque praestet, quae per Tertios Ordines fieri solent?

O. K. Recte omnino monet R. V. magis urgendum esse, ut Sodales nostri *mentali orationi* studeant. Haec enim oratio Regulis commendatur estque fere omnis vitae vere spiritualis fundamentum. Quodsi vitae spiritualis, ergo etiam apostolatus. Agemus de hac re proxima vice.

Ex epistola Superioris cuiusdam.

Superior Residentiae nostrae in magna aliqua civitate vigentis haec scribit:

" In Congregationibus Marianis illud est novum quod ope earum iuxta consilia " Acies Ordinata " coepimus parochialem organisationem cum commissariis domorum et platearum promovere, immo in Congressu V - d. 6 iul. h. a. habito delegatos omnium Congregationum huius nationis coepimus de hac parochiali organisatione ita instruere, ut ipsae Congregationes se offerre possent sacerdotibus in cura pastorali occupatis ad hanc organisationem excitandam et fovendam. Valde grati sumus Paternitati Suae pro illo folio " Acies Ordinata "... Nunc habemus solidam directionem in rebus ad Congregationes spectantibus... Hoc anno volumus e nostro secretariatu nationali incipere ordinatam correspondentiam cum Directoribus omnium Congregationum et hoc modo eos promovere in administrandis Sodalitatibus ".

Editor gratias agit et plus quam verbis laudatoriis gaudet, quod res in A. O. propositae in usum deduci videt.

Index articulorum maiorum

primi anni A. O.

Epistola A. R. P. N. ad Superiores et Congregationum Moderatores 1
Introductio: Quid sibi " Acies Ordinata " velit? 2
De utilitate et opportunitate Congregationum hisce temporibus. (*P. A. Garagnani*). . . 4
Quis locus Congregationibus inter opera nostra hodierna sit tribuendus? 13
De apostolatu in Congregationibus Collegiorum nostrorum 16
De apostolatu moderno et Congregatione . 25, 37
Brevis conspectus historiae Congregationum B. M. V. 29, 40, 56, 66
De Congregatione et Tertiis Ordinibus . . 37
De Congressu internationali Congregationum differendo 43
De allocutione Sodalium a Directore facienda . 49
Quidnam officii Secretariatibus Congregationum obveniat 50
De amplitudine laboris nostri in Congregationibus Marianis 61
Habeatne Congregatio aestivas vacationes? . . 64
De " Directrice " in Congregationibus apud Moniales 71
Sitne Congregatio Mariana opus christocentricum? 77
De rationabilitate apostolatus nostri . . . 78
De secessu unius diei 80
De Directore Congregationis 89
De principio selectionis non exaggerando . . 91
De relatione inter Congregationem et associationes modernas iuventutis 97
Sodales " pensionati " 100

Obiicis: Apud nos iuvenes ita distribuuntur: in Congregatione sunt iuvenes devoti, in Associatione Iuventutis Catholicae sunt iuvenes operosi et vigorosi.

Respondeo: Ergo non bene selectio facta est. In Congregationem ii imprimis admittendi erant, qui non solum pietate, sed etiam desiderio apostolatus operosi emineant.

LIBRI NOVI

Walter Strasser S. J.: **Kirche und Marienverehrung**. (Vorträge für Marianische Kongregationen, herausgegeben von Georg Harrasser S. J., Heft 7). Marianischer Verlag, Innsbruck. Paginae 100.

Libello isto ad usum Directorum et ad parandas exhortationes Marianas edito id demonstratur, viguisse semper in Ecclesia Dei devotionem Marianam, quamvis ab impiis impetitam.

Capitulo primo de initiis vitae christianae auctor loquitur: de Evangelio S. Lucae, de Actibus Apostolorum, de apologetis, de catacumbis, de Origene, de Gregoriis, de poetis Marianis 4-i saeculi, de S. Ambrosio, de veneratione B. V. M. saeculo 5-o, de ecclesiis Marianis primitivis.

Capitulo altero tempus perlustrat a Concilio Ephesino usque ad Reformationem. Tum tertio capitulo errores recentis aevi a Protestantibus usque ad Modernistas diluit, quarto vero splendores cultus Mariani tempore 19-i et 20-i saeculi disserit. Ultimo tandem loco obiectiones quorundam huius aetatis Catholicorum refutat.

Est libellus non adeo panegyricarum phrasium quam rerum historicarum utilis omnino pro Directoribus thesaurus.

Les Cahiers Notre-Dame. *Aux Congréganistes de la Sainte Vierge: Hommes et Jeunes Gens.* Revue trimestrielle. Réd. et Admin.: 37, rue de Venise, Reims. Les 4 numéros, France: 5 fr., Etranger: 6 fr. Le numéro: 1 fr. 50.

Die festo Immaculatae Conceptionis tandem prodiit primus fasciculus primae ephemeridis gallicae, quae tota Congregationi Marianae, virorum atque iuvenum, est dedicata.

Ex quo tempore Congregationes Marianae gallicae circa annum 1830 calumniis et persecutione suffocabantur, ac Nostri saepe exsulare patria cogebantur, vita Sodalitatum Marianarum fere ad pia educandae iuventutis instituta restricta erat. Nostrorum tamen opere novus quidam ardor Marianos animos cepit et nisi recentia nuper ortae persecutionis pericula omnia iterum susque deque vertant, singularis Congregationum in illa terra resurrectio iure speranda est. Desiderabatur tamen ephemeris, quamvis parva, quae viriles inprimis Congregationes tam in Gallia, quam in Belgio et Canada gallico sermone utente, novo semper fervore foveret. Quanta autem sit animorum ad novam ephemeridem conversio, vel inde apparet, quod sub initium ipsum, dum folia prelo submittuntur, praefixum paginarum numerum editores tertio sibi augendum esse viderunt.

Primi fasciculi articulos alios externi scripserunt, alios PP. Debout, Badet, Villaret, de la Chaise, alii. Crescant in mille.

Historique de la Congrégation de Notre-Dame de Québec. 1157-1903. Fasciculus 31 paginarum, sine indicatione pretii.

Brevi historiam huius Congregationis exponit ex notationibus manuscriptis a P. Felice Martin relictis.

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Tribuna di Campitelli, 24